

flectens incolumem dimisit illum e castris imperans ei, quod redux statim in urbem obcoecatos socios illuc traduceret. Interim Federicus cum expertus fuisset nihil per vim proficere posse adversus virtutem Cæsariensium, ad artes, & dolos conversus excogitavit rem cuniculis agendam esse, quare loco perlustrato statim cuniculum versus fluvium Burmidam ad meridiem agi iussit, ut per illum in urbem magnam vim militum selectorum immitteret. Quæ res nihilo atque alia feliciter successit. Quandoquidem Cæsariensis populi excubiæ hanc rem præsentientes, ex terræ tremore cito rem totam judicarunt. Itaque & ipsi adversus cuniculum agunt; quo nihil tale timentes Federici milites excipiunt, & ad unum contrucidant. Re intellecta Cæsar suos, qui subsequenti reliquos fuerant, revocare coactus fuit; sed in hoc tanto ardore Cæsarienses in castra ipsius Federici impetum fecerunt, ac multis hostium occisis in urbem se incolumes receperunt. Adest etiam nunc specus, qui cuniculus appellatur, scilicet ubi cuniculus ille peractus fuit. Facti istius memorandi accuratam mentionem egregie fecit Baronius Annal. Eccl. lib. XII. sub anno MCLXXV. dum scriberet „Hoc eodem anno. Fridericus Imperator ex totius Germaniæ, & qua pollet parte Italiæ apparatu collecto, tota hyeme, vereque in obsidione Alexandriæ Longobardorum recens erectæ Civitatis absque mœnibus subsistentis, non secus ac illam florentissimam olim Ægypti primariam Civitatem Alexandriam expugnaturus, animo obstinato persistens, sæpe rejectus, tandem exercitus consumptis viribus, maximo damno, atque dedecore terga vertere turpissime cogitur. Quomodo autem ista se habuerint, acta Alexandri Papæ tunc scripta sic docent. Cum autem neque terroribus, neque blanditiis, neque promissionibus cives ipsos ad deditionem inclinare ullatenus posset Fridericus Imperator, subterraneos meatus occulte fieri fecit, per quos Civitatem ipsam ex improviso intrare speravit, atque invadere. Sed resistente Domino, inde perniciosam jacturam incurrere meruit, unde affuturam victoriam, & triumphum consequi speravit. At quoniam eadem Civitas jam per sex menses distracte obfessa fuerat, & in multis patiebatur indigentiam, Lombardorum vires, & suffragium postulavit. Tunc Lombardiæ immensa Civitatum societas in unum convenit, & communi omnium voluntate firmiter statuit, ut cum abundantia victualium Alexandriam in manu valida sine mora festinare deberet. Mediante enim Quadragesima omnium Civitatum nobiles totius Liguriæ, & Marchiæ, & Emiliæ apud Placentiam convenerunt, & rite dispositis, & ordinatis omnibus, quæ ad bellicos usus videbantur spectare cum navibus, & plaustris victualibus oneratis, & armis exierunt de Civitate ipsa. Procedentes autem in multa fortitudine militum peditum armatorum, & arceriorum versus Alexandriam, die Dominica in ramis Palmarum juxta Terdonenses castra sua, non longius a castris Friderici quam decem milliariis posuerunt. Ubi vero Teutonici, & Longobardi se se alterutros aspexerunt, timor, & hebetudo mentis Frideri-

„ cum invasit, advertentem contra se stare armatorum terribilem multitudinem, castrorum aciem ordinatam. Exinde ad consueta calliditatis argumenta se convertens Alexandrinis in dolo placide locutus est in hæc verba. In crastino sanctus dies Veneris imminet, quem omnis Christianus devotissime colit; ideo pro reverentia Crucifixi treguam vobis, & securitatem usque ad quartam feriam Paschæ ex Imperiali benignitate concedo, & largior. Recepta itaque securitate, cum singuli de populo nihil mali suspicantes dormirent in domibus suis; eorum insidiator circa primam vigiliam noctis viros armatos in Civitatem per subterraneos meatus intrare præcepit. Ipse autem cum toto exercitu stetit ad portam armatus, expectans, quousque illi, quos præmiserat, Civitatem intrassent, & conclamantium voces audiret, quatenus dum bellum intrinsecus ageretur, ipse deforis per portas violenter irrumperet, & Civitatem hostiliter occuparet, sed a Domino factum est, quod mirabile in oculis nostris fuit, ut eadem Civitas a tam perversa prodicione in momento liberaretur, & inventa iniquitas in perversorum caput iuste retorqueretur. Cum igitur vigiles, qui custodiebant Civitatem, armatorum cuneos ingressos Civitatem viderent; exclamarunt magnis vocibus, ut cito populus ad arma consurgeret, & ingressos hostes expelleret. Tunc cives subito convolarunt ad arma, & tamquam leones irruerunt in hostes, quos cum Beato Petro, quem ante se in equo albo corruscantibus armis præire cernebant, prostraverunt in terram, & in gladio compulerunt omnes, ut mortem evaderent, exire super aggeres, ex quibus præcipitabantur inviti. Omnes præterea, qui de subterraneis meatibus nondum exierant, superiori terra cadente suffocati sunt. Apertis tunc portis exivit populus in fortitudine magna, & exercitus perfidi Federici usque ad diem sabbati percussit gladio, ita ut usque ad ipsius castra mortuorum strages usquequaque jacerent. Insuper ligneum Castellum, quod in perniciem Civitatis ex fortioribus, atque electis militibus armaverat, studiose tamdiu viriliter expugnavit, atque una cum militibus ibi positus violenter combussit. Vident igitur Fridericus Divinam majestatem sibi in omnibus infestiorum adversari, timuit, ne propter subventionem Lombardorum exercitus incurreret violentiam, & cum rubore cogeretur ab obsidione recedere. Quocirca in proxima nocte castra fecit comburi, & in Dominicæ Resurrectionis aurora cum omnibus suis versus Papiam iter suum direxit.

Interim Cæsarienses Deo Opt. Maximo gratias egerunt, quod tantum populum servasset, & Mediolanenses per literas rogant, ut obsessis sociis subsidium, & opem ferant, adesse tempus, quo ipsi fidei, & virtutis suæ specimen ederent; jura quidem amicitiae, & foederis postulare, ut periculum nullum pro sociorum salute debeant subterfugere: attamen nunc non solum ultimum discrimen requirere, sed quid modo adversus Federicum moliantur, parvo negotio impelli, & cogi posse illum ad